


2413  
49

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)





[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)



www.libtool.com.cn

D e

# GEDMONE

poëta Anglo-Saxonum vetustissimo  
brevis dissertatio.

---

Ad

auspicanda munera

directoris gymnasii Elberfeldani

Karl Wilhelm <sup>scripsit</sup>  
**GAROL. GUIL. BOUTERWEK,**  
Phil. Dr.

---

ELBERFELDAE.

S umptibus Julii Baedeker.

1844.

124 ~~13.49~~

www.libtool.com.cn



205

**P**ostquam, conjunctis doctorum virorum curis, tenebrae, quibus patriae linguae studium diu obsitum fuerat, tandem discussae sunt, studia quoque linguarum antiquitatis classicae tantum inde incrementum ceperunt, ut ratio eorum exercendorum plane alia facta sit. Cujus rei testimonium praebent, cum opera virorum doctorum, quibus propositum est, indolem naturamque linguae et grammaticae graecae et latinae explicare, tum ipsae grammaticae harum linguarum, quas puerorum manibus tradere, praeceptores non dubitant. Accedit, quod, hoc progressu parum contenti, viri docti, qui in comparanda lingua vernacula cum Sanscritica versantur, fructus, quos inde collegerunt, cum philologia proprie sic dicta sibi communicandos putaverunt. Quo factum est, ut timor, ne nova literarum farrago studiis optimarum artium noceat, multos invaderet, priscam sobrietatem sagacissimis observationibus et effusae laetitiae eorum praeferentes, qui novas semper divitias ex oceano linguae orientalis perfectissimae in lucem se protulisse arbitrabantur eoque ipso fundamenta, in quibus cognitio priorum aetatum posita erat, subruere videbantur.

Quaecunque vero ratio hujus rei est, tamen nemo negabit, laudem literarum a viris illis, quamvis in contrarias partes saepe abire videbentur, haud parum esse auctam et famam eorum totum fere orbem terrarum pervagatam esse. Quis enim est, vel mediocriter in literis versatus, ad cuius aures nomen Jacobi Grimmii, Guil. Humboldtii, Francisci Boppii non pervenerit? Quis est, qui neget, ab his viris illustribus commune nomen Germanum aequem esse ornatum ac ipsas artes, quum tamen primo tempore in quisquiliis et nugis bonum otium con-

sumere viderentur? Vitio igitur verti vix poterit, si, horum virorum vestigia secuti, ad ea quoque perscrutanda accedemus, quae leviter judicanti parum utilitatis literarum studio afferre videantur.

Qua spe ductus, pauca de Cædmoni, vetustissimo poëta Anglo-Saxonum, fortissimae quondam gentis nobisque propinquae, hic proponere decrevi.

Cujus rei veniam eo facilius me inventurum esse confido, cum, grammaticā Jacobi Grimmii, patris philologiae teutonicae, ejusque editione Codicis Vercellensis praeclarā, Reinholdi Schmidii legibus Anglo-Saxonum etiam apud exteros laudatis, Leonis, optime de his studiis meriti, libris publice editis, Lappenbergii historiā Anglorum apud omnes celebratā, nomina scriptorum, lingua, literae, institutiones, leges Anglo-Saxonum apud nos innotuerint, recentissimis vero temporibus conversione antiquissimi eorum poëmatis epici, quod inscribitur Beowulf, multa arte ab Ettmüllerō factā et enarratione argumenti ejus, qua Leo admirandam historiarum veterum peritiam et accuratam dialecti Anglo-Saxonicae scientiam probavit, earum rerum cognitio apud nos mirum in modum aucta sit.

Viros doctos non eandem Cædmoni curam atque studium tribuisse quam carmini epico, cui nomeu Beowulf, mirandum non est. Quanquam enim in „perantiqua hac (ut Junii, primi editoris, verba mea faciam) Geneseos ac praecipuarum Veteris Testamenti historiarum paraphasi poeticā innumera occurrunt, quae penitiorem sapiunt antiquitatem“, argumentum tamen omnibus notissimum curiositatem non magnopere movet, minimeque constat, quisnam paraphrasis illius auctor fuerit. Nam Junius, eruditissimus certe antiquitatis populorum septentrionalium aestimator, Cædmoni opus illud poëticum ob eam causam adscribit, quod „ipse stilus ac totius operis cum argumentum tum genius ad amussim respondeant isti veteris poeseos specimini, quod adduxerit Ven. Beda lib. IV. Hist. Gentis Anglorum, cap. 24.“, de quo infra plura dicemus. Hickesius contra, celeberrimus Thesauri Linguarum Septentrionalium editor literarumque Saxonicarum instaurator, cum codex tantum unus, seculi decimi, in bibliotheca Bodlejana asservatus\*), cui

\*) cf. Conybearii Illustrations of Anglo-Saxon Poetry p. 183.

Thorpii Cædmon's metrical paraphrase p. VII. XI.

Waneji Catal. p. 77. Monumenta Exoniensia nuper a Thorpio edita, quae excerpta alias recensionis continent, mihi inspicere nondum licuit.

www.libtool.com.cn

nomen auctoris non sit additum, extet, hanc paraphrasin non a Cedmone, sed a poëta aliquo Anglo-Saxonum septentrionali, Cedmonis, „quoad operis argumentum, quisquis fuerit, non infelici imitatore“ contextam fuisse, statuit. Colorem enim orationis et indolem operis esse eandem, quae et in aliis reliquiis literaturae Anglo-Saxonum recentioris aetatis reperiatur. Auctorem vero poëticae illius paraphraseos „septentrionalem“ quendam Anglo-Saxonem (northumbricum puta) ideo fuisse judicavit V. Cl., quod in illa multas voces et phrases Dano-Saxonicas deprehendisse sibi videbatur, quales in MSS. haud multum ante vel statim post invasionem Nortmannorum exaratis inveniantur.\*<sup>1</sup>) Aliter statuit novissimus paraphrasis editor, Benj. Thorpius, si quis alias aptus ad haec judicanda. Obtinet enim cum J. Kembllo primum locum inter eos Anglos, qui, suorum patriae amore et societatibus literariis adjuti, studium linguae Anglo-Saxonicae librorum editionibus et disquisitionibus eruditis, quum in Britannia, tum apud exteris mirum quantum promoverunt. „Mihi“, inquit Thorpius \*\*), Hickesii sententiam refutans, „ne vestigium quidem illius dialecti per totum poëma odorari contigit; ab initio enim usque ad finem linguâ Saxonici aequa purâ conscriptum est, ac ipsius Alfredi opera; Danismi non existunt, nisi in cogitatione docti auctoris Thesauri. Quodsi etiam Hickesium rectum vidiſſe et dialectum Dano-Saxoniam esse concedere vellemus, tamen nihil aliud inde secuturum esset, quam quod textus originalis puro sermone Saxonico conscriptus interierit et reliquiae poëmatis, quae exstant, in exemplari a Northumbrico quodam scriba confecto ad nos pervenerint. Tum sumendum esset, codicem, qui Cedmonem continet, scriptum esse eo tempore, quo dialectus partis illius Angliae corrupta fuisset intermixtis vocibus originem habentibus a Scandinaviis, qui eam terram tum occupaverant et colebant.“<sup>2</sup>

Nonnulla vero scripta dialecto northumbricorum composita, inter quos Cedmon vixisse a Beda traditur, aetatem tulerunt, quorum tamen exigua tantum pars adhuc edita est.\*\*\*<sup>3</sup>) Sed cum paucissima tantum eorum, quibus haec dialectus ab Anglorum occidentalium sermone recedit, in paraphrasi deprehendantur, Thorpii prior sententia verior

\*<sup>1</sup>) v. Hickesii literas in Thorpii Edit. Caedm. p. IX. sq.

\*\*<sup>2</sup>) l. c. p. IX. cf. Bosworthii Lexicon Anglo-Saxon. p. XVIII.

\*\*\*<sup>3</sup>) v. Grimmii Gr. I, 376. ed. III. — Thorpii Anal. Anglo-Saxon. p. 19 sq.

Ejusdem Caedm. p. X. et XI. notam. Bosw. l. l. XXI. sq.

esse videtur. Recte etiam cum eodem viro docto statuemus, partes fortasse aliquas poëmatis Cedmonii variis dialectis conscriptas extitisse.

2 Neque vero ob eam rem uni auctori totum opus abjudicandum est, praecipue cum Beda l. l. argumentum paraphraseos nostrae, magna ex parte saltem, afferat, ipse vero codex Ms. paraphraseos unicus multis locis corruptus et mutilatus sit, atque ita facile explicari possit, cur secundus liber, qui historias novi Testamenti tractat, non omnes historias a Beda enumeratas, plurimas tamen, tangat. Est praeterea hic liber secundus minore cum cura et manu minus eleganti exaratus. Argumentum ejus praecipuum in describendis tormentis, quibus cruciantur, qui sunt in infernis, inque Christi descensu ad inferos versatur. Quae Beda de paraphrasi Cedmonis dicit lib. IV. cap. 24. sic se habent:

„Canebat autem (Cedmon) de creatione mundi et origine humani generis, et tota Genesis historia, de egressu Israel ex Aegypto et ingressu in terram reprobationis, de aliis plurimis Sacrae Scripturae historiis, de Incarnatione dominica, Passione, Resurrectione et Ascensione in coelum, de Spiritu Sancti adventu et Apostolorum doctrina. Item de terrore futuri judicii et horrore poenae gehennalis, ac dulcedine regni coelestis multa carmina faciebat.... Et quidem et alii post illum in gente Anglo-Saxonum religiosa poëmata facere tentabant, sed nullus eum aequiparare potuit.“

Qua re ii non erraverint, qui hanc paraphrasin Cedmoni adscribendam esse recentissimis temporibus contenderunt; quanquam negari non poterit, poëtam res non semper eodem artificio tractavisse.

Nonnullae quidem operis ejus periphrastici partes ingenium haud mediocre produnt: omnia bene inventa sunt et tam longe a nuda paraphrasi recedunt, ut Cedmoni ab ipsis Anglis nomen inde Miltonis Anglo-Saxonici haud immerito sit tributum.\* ) His locis vere poëticis adnumeranda est narratio de angelorum defectione, qua Deum commotum fingit poëta, ut lacunam in universo ita exortam creatione generis melioris, hominis, expleret. Quod Dei consilium, quum angelis olim beatis, nunc malis, innotuisset, tum ducem eorum, inquit, qui ante defectionem potentissimus Deoque carissimus fuisse, oratione habita socios tormentorum exhortatum esse, ut, quum beatitudine frui non amplius ipsis liceret, hominem quoque, qui in suum locum subiisset, ea privarent. Quod se ita facilime assecuturos esse, si eum, qui

---

\* ) Turner II, 313. Thorpii Cædm. p. VI. Conyb. l. l. p. 186.

Deo in deliciis esset, ad inobedientiam seducerent et ad peccatum primum committendum impellerent, ut, in cruciatus locorum inferorum de-trusus, servus daemonum malorum fleret. Ita factum esse, poëta pergit, ut Adamus cum conjugé Eva desiceret, quae defectio alia narratione continetur aequa egregia et poëtae praeclari ingenio dignissima.

Aliae partes poëmatis, eaeque plures, ornatu paene omni poëtico destitutae sunt, et nisi numerus quidam inesset, qui vocibus a literis iisdem incipientibus et rhythmo quodam ad trochaicum vel dactylicum accedenti efficitur, orationem pedestrem chronicorum legere te crederes potius, quam poëma.

Utriusque generis specimen hic exhibere placuit. Ut ingenium poëticum Cedmonis ab artis aestimatoribus dijudicari possit, monologum ducis angelorum, qui sociis a Deo defectionis auctor est, in calce hujus scriptiunculae inprimendum curavi et versionem, quae verba Saxonica strenue sequitur, addidi, ut dialecti Anglicae minus periti verba auctoris facilius intelligerent.

Quod vero orationis simplicioris elegi specimen, hymni Cedmonii nomine inter doctos notum, in paraphrasi quidem non legitur, sed ab omnibus criticis genuinum, a nonnullis unicum poëtae fragmentum habetur, quippe quod a Beda l. c. exhibeatur et in versione Alfredi Anglo-Saxonica, non e latino, ut reliqua, sermone redditum videatur, sed textum originalem repraesentet. Quod cum argumentis aliis \*), tum ea hymni recensione probatur, quae in fine codicis antiquissimi Eliensis vel Norwicensis extat, nunc in bibliotheca regia apud Cantabriges asservati. Wanlejus, celeberrimus catalogi manuscriptorum septentrionalium auctor, hunc codicem A. D. 737 „Ceolwulfo adhuc regnante, seu saltem ante Eadberhti inaugurationem, duobus quoque annis post Bedae obitum, in Wiremuthensi monasterio scriptum esse“ putat, i. e. annis 57. post obitum Cedmonis, quem viri docti anno 730 mortuum esse 6 conjiciunt. Haec recensio orthographiâ et formis nonnullis grammaticis multum recedit quidem ab ea, quam Alfredus nobis servavit, ad verbum tamen huic respondet. Quare probatur, translatorem regium Cedmonis hymnum non vertisse, sed potius e sermone Saxonum orientalium, (eo enim fragmentum illud appendicis loco in Cod. Eliensi conscriptum esse putamus,) in sermonem Saxonum occidentalium transmutasse.

\*) cf. Conyb. l. c. p. 7.

Accedit alia ratio, qua sententia nostra firmatur. **Alfredus**, qui in vertenda Bedae historia textum latinum satis accurate sequi solet, hoc ipso loco, quo hymnus Cedmonis affertur, nonnulla aliter vertit, quam textus originalis desiderat, vel etiam omittit, idque, ut appareat, de industria. Haec enim verba Bedae: „statim ipse (Cedmon) coepit cantare in laudem Dei Conditoris versus, quos nunquam audierat, quorum iste est sensus“ in versione Anglo-Saxonica sic sonant: þa ongan he sona singan in herenesse godes scypendes þa fers and þa vord þe he næfre ne gehyrde, þara ende byrdnes is þis, quorum ordo hic est. Alfredus igitur non tantum sensum hymni reddidit, quemadmodum Beda fecerat, sed ordinem verborum, qualis omnibus notissimus erat, expressit. Pergit Beda, allato hymni sensu, „hic est sensus, non autem ordo ipse verborum, quae dōmiens ille canebat: neque enim possunt carmina, quamvis optime composita, ex alia in aliam linguam, ad verbum, sine detimento sui decoris ac dignitatis, transferri.“ Hunc totum locum Alfredus omisit, eo ipso declarans, se sententiam Bedae probasse ideoque hymnum non transtulisse, sed ex alia tantum dialecto in suam mutasse.\*)

Vix igitur dubium est, quin hymnus ille, quem Wanlejus \*\*\*) e cod. Eliensi iterum edidit, „tanquam omnium, quae in nostra lingua (Anglica sc.) etiamnum extent, monumentorum paene vetustissimum“, immutatus et ut primum scriptus fuit ad nos pervenerit.

De textus vero ipsius indole viri docti valde inter se dissentunt. **Conybearius** enim \*\*\* ) eam recensionem seculi XI. vel XII. a scriba parum perito profectam fuisse putat, eam praecipue ob causam, quod ipse Wanlejus dubitaverit, utrum fragmentum illud cum codice, cui additamenti loco adjectum est, ejusdem aetatis sit, necne. Rem certe difficultam esse, de aetate manuscriptorum A-Saxoniorum ex varia scribendi ratione (orthographiā) conjecturam facere, Thorpius bene monuit †), locum hāc in re aequē ac tempus respiciendum esse contendens. Quas vero rationes Conybearius affert, ut sententiam suam firmet, eae leviores sunt, virumque doctum non satis diligenter in ea reversatum esse, docent.

---

\*) Cf. Halbertsma in Bosworthii Lexico A-S. praef p. LVII.

\*\*) I. c. p. 287.

\*\*\*) I. c. p. 6. nota 2.

†) Cædm. p. XII.

Sententiam huic contrariam V. Cl. Halbertsma l. c. profert. Is de aetate codicis Eliensis tam parum dubitat, ut in ea, tanquam fundamento, omnis argumentatio ejus nitatur, qua probare studet, linguam Anglo-Saxoniam per temporis intervallum, quod inter codicis originem et Alfredi versionem Bedae intercedat, eam mutationem subiisse, quam differentiae verborum utriusque recensionis ostenderent. Id comprobari facta comparatione linguae Frisorum antiquissimae cum sermone, qui in prima hymni recensione regnat.

Veriore sententiam Reinholdus Schmidius\*) protulisse videtur, monens, rusticum Northumbricum dialecti meridionalium Saxonum magis exculta vix peritum fuisse, recensionemque Eliensem, etiamsi primum textum non contineret, northumbrico tamen idiomate conscrip- tam esse.

Sed in re tam obscura, quid sit verum, ita probare, ut nihil dubii remaneat, difficillimum est; judicio virorum doctorum proponere, quid ipse sentias, haud absonum erit. Antequam vero id aggrediar, referam miraculum, quod Beda in vita Cedmonis, cui historiae suae libri IV. cap. XXIV. dicavit, de hymni nostri origine narrat.\*\*)

Hildam, Eadwini, Northumbrorum regis, neptem \*\*\*) pietate insignem, postquam vitam secularem deseruisset, primo in monasterio nomine Heortea (Hereteu, Hartlepool in pago Durhamensi), postea in Streoneshalhio Northumbrorum coenobio abbatissam fuisse. Inter famulos hujus monasterii Cedmonem †) fuisse quendam bubulcum, virum bonarum artium adeo rudem, ut, quum in conviviis ex more Anglo-Saxonum omnes per ordinem patro sermone cantarent, ipse, ubi ad-

\*) Hermes, oder kritisches Jahrbuch der Literatur. Jahrg 1827. p. 336.

\*\*) cf. Thorpii Caedm. p. XIV sq. Ejusdem Anal. Anglos. p. 54 sq.

\*\*\*) væs heo Edvines thæs cyninges nefan (filii fratris) dohtor, se væs Hereric haten. cf. Anal. AS. p. 49 sq. Lappenbergii hist. Angliae I. p. 145. nota.

†) Ipsum Cedmonis nomen (cf. Gr. Gr. 2, 507) initio appellativum fuisse, <sup>utrum</sup> dubium non est. Variae ejus formae sunt: Cedmon, Ceadmon, Cædmon, vox ipsa composita <sup>et</sup> mon, vir (cf. Paraphr. p. 89, 3: flot-mon nauta. p. 186, 12: vræc-mon, fugitivus) et ced, quod, ut in Glossis a Cl. Monio editis est (p. 331) lntrem depotat. Cedmon tamen non nautam significare videtur, sed potius idem valere quod scegðh-mon pirata, a scegðh, sceigðh liburna, scapha. cf. Gr. 3, 437. ibique Gl. Monii. Hoc vero nomen nihil infame habuisse, alia ejusmodi veterum nomina, e. g. landsceatha latro, hros-diop, scef-diop, heriwolf, beovulf cet. satis luculenter testantur. Cf Gr. Gr. 3, 785 notam.

*nauta  
a lig. t b  
skuf*

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)  
 propinquare sibi citharam videret, e media coena domum redire soleret. Quod quum aliquando fecisset et apud jumenta, quorum cura ea nocte illi contigisset, pernoctaret, dormienti virum quendam adstitisse, qui eum nomine affatus „Cedmon“, inquit, „canta mihi aliquid.“ At ille „Nescio“ inquit, „cantare; nam ob eam ipsam causam de convivio egressus huc secessi.“ Rursus ille „Attamen“ ait „mihi cantare habes.“ „Quid“, inquit, „debeo cantare?“ At ille, „Canta“, inquit, „principium creaturarum.““ Quo accepto responso, statim ipsum coepisse „cantare in laudem Dei Creatoris versus, quos nunquam audivisset“, quorum versionem hic habes ad verbum factam, textum paucis explicatum infra leges.

„Nunc debemus celebrare regni coelestis custodem,  
 creatoris potentiam et mentis ejus consilium.  
 Hominum pater gloriosus, uti ille cuiusvis (generis) mirabilium,  
 aeternus dominus, originem instituit!  
 Ille primo creavit terrae filiis  
 coelum in tectum, sanctus creator!  
 Tum medium terram, generis humani custos,  
 aeternus dominus, postea fecit,  
 viris terram, princeps omnipotens.\*)

Mane somno exsurgentem Cedmonem omnia, quae dormiens cantavisset, recitavisse. Quod miraculum, ubi innotuisset, a villico ad Hildam abbatissam Cedmonem deductum esse; Hildam eum exhortatam esse, ut „secularem illum habitum relinqueret“, gratiamque a Deo ipsi concessam vita monachica excoleret. „Eum igitur in monasterium receptum fuisse et a fratribus suis in historia sacra eruditum ita, ut quicquid ex divinis literis per interpres (latini sermonis) disceret, hoc ipse post pusillum, verbis poetis, maxima suavitate et compunctione compositis, in sua, id est Anglorum, lingua proferret. Erat autem vir multum religiosus, et regularibus disciplinis humiliter subditus; adversum vero illos, qui aliter facere volebant, zelo magni fervoris accensus: unde et pulchro vitam suam fine conclusit. Nam mortis horam praesciens, eucharistia a fratribus mirantibus accepta, quomodo simplici ac pura mente tranquillaque devotione Domino ser-

---

V \*) Rectissime jam Turnerus (hist. AS. II., 279) monuit, his versibus nihil expressum esse, nisi sententiam simplicissimam versus I. Geneseos: in initio creavit Deus coelum et terram.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)  
vierat, ita etiam tranquilla morte mundum reliquit et ad ejus visionem venit.“

De Cedmonis sanctorumque aliorum reliquiis ita scribit Malmesb. (l. 3 de Gestis Pontif. p. 154. b. Ed. Lond. \*): „Inventa sunt noviter (i. e. ante initium seculi XII.) et in eminentiam elata sanctorum corpora, Trumuini Ep., Osui regis, et Aelfledae, filiae ejus, quae eidem monasterio post Hildam praefuit, nec non illius monachi, quem divino munere scientiam cantus accepisse Beda refert. Cujus non fuisse apud Deum populare meritum, miracula modo multa, ut ferunt, superne demissa praetendunt indicium.“

Etiamsi haec simplicitas et credulitas illorum temporum nos, ab omni superstitione nimium quantum alienos, non movet, tamen res a Beda narratas ita se habere fatendum est, ut lectorum animos teneant desideriumque excitent textum hymni genuinum, verba, si fieri possit, ipsius Cedmonis accuratius cognoscendi. Cui optato ut satisfacerem, recensiones tres, juxta se positas, typis exscribendas curavi, varias earum lectiones notavi. Inde, ut ego quidem judico, satis dilucide appareat, primam illam recensionem e Codice Eliensi desumptam omnium esse antiquissimam. Literas in quavis linea majore forma expressas assonantiam vel alliterationem, quod rhythmi genus jam apud Romanos poetas, Elegiacos certe, haud raro occurrit, continere, lectores moniti scient. Sic Catulli carmen de Atye talibus vocibus assonantibus abundat, lege quadam conjunctis. In quo carmine binae pluresve voces iisdem literis incipientes se excipiunt, ut v. 6 sqq:

Itaque, ut relicta sensit sibi membra sine viro;  
et jam recente terrae sola sanguine maculans,  
niveis citata cepit manibus leve tympanum,  
tympanum, tubam, Cybelle, tua, mater, initia;  
quatiensque terga tauri teneris cava digitis . . . cet.

Simili modo in quocunque versu A-Saxonico, majore tamen libertate, quam apud Scandinavios, bina vel trina verba deprehenduntur, quae numero illo conjuncta gratum quendam sonum efficiunt.

Sequitur nunc ipsum antiquissimum poëeos Anglo-Saxonicae specimen.

---

\* ) v. Thorpii Cædm. p. XXIX.

**Recensio Codicis Eliensis v. Norvicensis.**

**Recensio Alfredi regis in Bedae Ven. hist.  
Eccl. Angl. ed. Smithii.**

**Recensio Alfredi ex editione Smithii**  
cum Cod. C. C. C. Oxon. a B. Thorpio collata. Ct.  
ejusdem Anal. A.S. et Cædm. p. XXII.

Nu scylun **hergan** **hefæn** rices uard,  
**metudæs** **maecti** end his **mod** - **gidanc.**  
**Uerc** - **uudur** fadir, sue he **vundra** gihuæs,  
eci dryctin , or astelidæ.  
He ærist scop **ælda** barnum  
heben til hrofe, **halig** scepen.  
þa **middangeard**, **moncynnes** uard,  
eci dryctin, **æfter** tiadæ,  
firum fold **frea** allmectig.

„Primo cantavit Cædmon.“

1. Nu ve sceolan **herian** **heofon** - **rices** veard
2. **metodes** **mihte** and his **mod** - **geþanc.**
3. **veor** **vuldor** fader, sua he **vundra** gehvæs,
4. **ece** drihten, **ord** **onsteald.**
5. He **ærest** scop **eorðan** bearnum
6. **heofon** to **hrofe**, **halig** scippend.
7. þa **middangeard**, **moncynnes** veard,
8. **ece** drihten, **æfter** teode,
9. firum foldan **frea** **ælmihig.**

**Annotatio et varia lectio.**

v. 1. scylun. sceolon. sceolan. Scylun in paraphrasi non legi; semel tantum scyle 63, 27. quod vero conjunctivus est. Sculon 39, 10. 45, 6. 50, 7. 50, 28. 131, 17. 133, 13. et sceolon 266, 30. 267, 20. — hergan. herigean. herian. Formae hujus verbi in paraphr. obviae haec sunt: hergan e. g. hergende væs 237, 8. hergas 239, 22; herigen 1, 4. herige 239, 14. 26. herian 135, 5. herigað 213, 3. 240, 15. et saepius. Etiam heran occurrit: 279, 8. 284, 6.  
hefæn ricæs. heofon - rices. In Par. observavi has formas vocis heofon: heofen (cf. Gr. 2, 516. 3, 393): heofen - cyninge 276, 3. 284, 5. 292, 8. heofen - déma 306, 4. heofen - rice 307, 14. 26, 9. heofen - stolas 1, 15. heofenes god 50, 30.

heofena heah cining 4, 3. heofena rices 3, 10. forma contracta: heofnes 1, 15. on heofnen 22, 11. — hefon: hefone getenge 50, 14. hefoncyninges 41, 19. hefon-fugolas 240, 16. hefon-rices 40, 3. hefon forma est usitatissima. hefén formae Vet. Saxon. heban responderet. Gr. I, 334. 350. Schmell. Gloss. ad Heliand p. 50. hefon-rices veard in his Par. locis legi: 82, 17. 89, 21. 104, 33. 125, 2. 208, 19. 216, 25. 217, 21. 245, 5. 290, 21. cf. Gr. 2, 534. 602. 613; composita vox hefon-veard (Gr. 2, 462. 534.) etiam in Cedm. occurrit. Uard (pro: veard; v. infra,) respondet gothico várds custos. Gr. 2, 534. et vet. Saxon. uuard.

2. metudaes. metodes. Formae in Paraphr. vulgatissimae sunt: metod et meotod (cf. Gr. 2, 230. I, 335. 339. 340.), semel metot 29, 32; cum miht conjunctum saepius legitur, ut e. g. metodes mihte 226, 10. 11. 256, 29. metodes mihta 249, 30. metodes mihtum 257, 17. meotodes mihte 286, 16. meotod þurh mihte 289, 21. eala meotodes miht 275, 1. meotod mihtum 279, 29. meotodes mihtum 12, 21. meotod on mihtum 265, 15. Radix hujus vocis est metan metiri (Gr. 2, 230.); metod igitur is est, qui omnia metitur et invenit, moderator, creator. cf. goth. mitan metiri; mituþs, quod nostrae voci responderet, non occurrit. cf. Sanscr. r. mā, part. praet. mita mensuratus. nir-māna formatio, creatio; nirmaita creatus, formatus. Lassen in Gloss. Antholog. nir-mātā fabricator, architectus. — maecti. mihte. v. infra. miht, meaht goth. mahts Vet. Sax. maht, potentia; rad. magan Gr. 2, 27. 89. Scr. mah unde mahat magnus, gravis, excellens. mahatva magnitudo, potentia. — mod-gidanc. mod-geðanc. mod-geþonc. Utraque forma: mod-geðanc et mod-geþonc, sicut simplex eorum, in Par. occurrit. mod-geðanc: 92, 5. 141, 3. 160, 6. 224, 16. 256, 3. geðanc ejusq. casus: 34, 3. 39, 25. 66, 3. 131, 27. 145, 29. 233, 24. 238, 21. 262, 13; mod-geþonc. 6, 23. 92, 5. Synon. mód-geþoht 17, 1. cogitatio, consilium. Radix est þencan goth. þagkian Gr. 2, 60.

3. uerc pro usitato veorc; semel in Cedm. Par. 267, 34: vordum and vercum, sed 278, 17. vordum and veorcum; sic: sigor-vorca 198, 2; semper tamen hand-veorc, dæg-veorc. Rad. výrcan goth. vaukturian operari. goth. vaurstv opus. Melior est lectio Cod. C. C. C. Oxon. vera virorum, hominum, a ver (veor) goth. vair, vir. Sscr. vira, rad. vr tegere, defendere. — uldur fadur. vuldor-fæder. vuldor, gloria. goth. vulþus. Scr. bhlás' fulgere, lucere. i. q. bhrás'; fæder goth. fadrein parentes. Scr. pitr pater, pitarå parentes, rad. pâ nutrire.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

Similiter: *vuldor* - *cyning* Par. 235, 20. *on his vuldor* - *háman* 237, 16.  
 — *sue*, *sua*. *sva*. goth. *sva*, *sic*, *uti*. — *uundra gihuæs*. *gehvæs*.  
*vundor*, *miraculum*; *gehva* *quivis*.

4. *e ci dryctin*. *ece drihten*. *dryhten*. Hae voces et in Par. sae-  
 pissime conjunctae leguntur. *é e aeternus*. Scr. *akschaya*, sine exitio.  
*dryhten*, dominus; *drihten an dryhten?* cf. Gr. 2, 69. 1, 343. *or*,  
*ord*, *oord*, *initium*, *origo*.

*astelidæ*, (*onsteald*. *onstealde*.), forma incontracta pro *astealde*,  
*praet*. secundum regulas dialecti veteris Saxonicae formatum. *gistellid*,  
*locatus*, *fundatus*, in poëmate *Heliand* occurrit. Cf. *Heliand ed. Schmeller*,  
*Glossar*. p. 103. 181. 182. *Schmid*, *Hermes* 1827. p. 338.

5. *ær ist*. *ær est*. *aer*, *aer or*, *aer est*, goth. *air*, *airiza*, *airists*, prior,  
*prius*, *primus*, primo. Scr. *varas?* — *scop*. *gesceóp*, a verbo *scapan*,  
*creare* Rask. p. 87. goth. *skapjan* (Gr. I, 337.), *gaskapjan* creare —  
*aelda barnum*. *eorðan* *bearnum*. (sic Par. 22, 17. 149, 6.) *hominum*  
*filiis*. 30, 8. 179, 13. *yldo* *bearn* *hominum filii*. *bearn* goth. *barn* *filius*.  
 cf. *Sanscr. bhr̥ ferre*, *nutrire*, *sustentare*. — *eorðe* goth. *airþa* *terra*; cf.  
*Sanscr. rd̥ crescere*.

6. *heben* til *hrófe*. *hefon* to *rofe*. *hefon* to *hrófe*. Forma  
*heben* respondet voci veteris dialecti Saxonicae „*heben*“ *coelum*; affinis  
 tamen est vocabulo A-Saxonico *hesen*, mutata litera *b* in *f*. Similiter  
 Par. 301, 1. *tifre* pro *tibre*, a voce *tiber* *hostia*. — *hr of*, *rof*, *tectum*,  
*culmen*, *palatum*. Gr. Gr. I, 364. 1, 639. 2, 500. — *scep en*. *scippend*.  
*scyppend*. In voce *scep en* *Hickesius* literam finalem *d* intercidisse  
*putat*, ut l. 4. *or* pro *ord* *scriptum* esse idem contendit. Forma *scep-*  
*pend* pro *vulgata scippend*, *scyppend*, *scypend* in Par. ter occurrit:  
 p. 271, 16. 283, 24. 298, 19; item part. *sceapen* in voce composita  
 „*earm-sceapen*“, Par. p. 255, 30.

7. *middungeard*. *middangeard*. goth. *midjungards*, *scandin. mið-*  
*garðr* *media terra*, *orbis terrarum*, *mundus*. Praeter formam *middan-*  
*geard* recentiorem *middaneard*, abjecta litera *g*, bis in Par. legi:  
 275, 2 et 281, 16. *gards*, *vox gothica*, *scandin. garðr*, *domum*, *aulam*,  
*hortum* significat; cf. *χόρτος*, *cortis*. Radix esse videtur Scr. *hr̥ ca-*  
*pere*, *rapere*, unde Scr. *hara* gr. *χείρ* *manus*. — *moncynnæs*. *mon-*  
*cynnes*. *mon-cyn* genus humanum (Gr. Gr. 2, 501.), forma vetustior,  
 quae in Par. saepius legitur, e. g. bis cum *veard* conjuncta: *mon-*  
*cynnes veard*: 166, 34. 175, 14.; cum recentiore *man-cyn* promiscue  
 occurrit. *Cyn*, a verbo *cennan* parere, respondet voci *gothicae kuni*

gr. *γένος*, genus. Scr. *gānus genitura*, *gāna gens a rad. gān gignere*, parere. Mon, man, vir, homo Scr. *manu*, homo (Wilson s. v.), manus-s'ya idem, a rad. man, cogitare, unde manus, mens.

8. *tiadæ*. teode. Tiadae praeter. verbi teohan vel tiohan, e more dialecti Northumbriacæ et veteris Saxonicae (cf. Gloss. Schmell. p. 180. 118.) contractum esse videtur ex teohade, tiohade. Glossæ northumbriacæ praeteritum saepissime in ade formant, ut fulwade, boda-de, cliopade, geembehtade, leenade, gedrugade; cf. Par. Cedm. 269, 24: sveartade. 270, 3: hogade. Similiter praeter. teode ortum est e forma teohede, uti teōn scribitur pro teóhan. Ipsam formam tióde in Par. 11, 11. deprehendi: fultum tióde.

9. *firum*. fir, plur. *firas*, proprie quodvis animans denotat, tum hominem, et pertinet ad vocem feorh, scandin. fiör, vita, anima. cf. Gr. Gr. 2, 311. — fold, omissa flexione genitivi-a n, quam secunda et tertia recensio servat: foldan. Ipsa vox fold terram, solum significat, voci germanicae feld satis affinis. — frea goth. frauja dominus. Quodsi haec vox cum adj. Sanscr. priya dilectus, carus, gratus, a rad. pri diligere, revera conjungi debet, Cl. Grimmio consentiamus oportet, qui (Myth. Germ. ed. I. p. VIII. cf. p. IX. XV. 16) contendit, vocem frauja benignum dominum significare. Forma Saxonica hujus vocis est frôho, frô (Gr. l. c. p. 15. Gr. Gr. I, 367.), anglosaxonica dialecti septentrionalis freu Gr. Gr. I, 377. 3, 320.

Primam recensionem multa habere sibi peculiaria, quae, si non id probent, quod Cl. Halbertsma iis probari vult, linguam ASaxonicam duobus seculis plane aliam factam esse, tamen, ut mihi cum Schmidio videtur, dialectum Northumbriacum, vel potius Anglorum orientalium prodant, certe neminem, qui variam lectionem inspiciat, fugere potest. Dialecti varietates extitisse etiam inter Anglo-Saxones ipse Beda hist. eccl. II, 5. affirmit, his verbis: „nam primus imperium hujusmodi Elli (tenuit) rex australium Saxonum, secundus Celin, rex occidentalium Saxonum, qui lingua ipsorum **Ceulin** vocabatur.“ Quaenam vero differentiae fuerint variarum dialectorum Saxoniarum, hanc quaestionem, ut nunc res sunt, solvere, non facile quisquam audeat. Libri enim manuscripti, qui, praeter communem occidentalem, unam aliam-ve dialectum haud dubie referunt, vel rari sunt, vel nondum publici juris facti. Sic Codex ille splendidus Cottoniensis, qui Glossas Northumbricas continet et nomine Durham-book doctis innotuit, partim

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

tantum a Cl. Thorpio et Kemblio editus, in publicum emitti desiit \*); excerpta Thorpius in Analectis suis cum fautoribus harum literarum communicavit. Cod. vero Rushworthianus, quo, praeter alias codices, Hickesius usus est, ut sententiam suam de dialecto, quam ipse dicit, Nortmannica, probaret, nondum in lucem editus est. In tanta igitur librorum, qui dialectum Northumbricam vere continent, raritate et penuria, nemo prudens de iis, quae illi dialecto propria sint, statuere sustineat. Accedit, quod Codices vetustiores, ut Cod. Benneti, litera B signatus \*\*), ex quo Thorpius leges Alfredi et Inae edidit, multas lectiones praebent et formas antiquiores, quas, re non accuratius considerata, pro varietatibus dialecticis facile haberes. Tamen, etsi similitudo Glossarum Northumbriacarum cum prima hymni nostri recensione me valde percussit, inde rem decidere non ausim. Variam lectionem vero recensionis Eliensis exemplis e Cedmonis Paraphrasi aliunde allatis illustrare studui, quamvis affirmare non possim, quid sit northumbrice, quid archaice dictum.

1. Observet lector, pronomen *ve*, quod ex usu Anglo-Saxonum adesse debebat, in recensibne Eliensi omitti. In Gl. Northumbr. pronomen personale saepissime omissum est, ita ut editor doctissimus, quo facilius sensus loci capiatur, id ubique fere adjecerit. Sic v. 6. *vudu-hunig* (he) *væs* brucende. v. 7. *and* (he) *bodade*, ubi versio AS. *and he bodude*. v. 9. *and* (*hyt*) *væs* avorden. v. 10. *and sóna* of (*ðam*) *vætre* (he) *astág*. v. 25. *and bebeád* (*hine*) *se Hælend*, ubi *Saxo: þa cidde se Hælend him and cvæð*.

2. Vocales purae occurunt, ubi fractis Saxones utuntur, quo ipso haud parum a reliquis dialectis affinibus hae glossae distinguuntur. \*\*\*) Sic Cod. Eliensis: *uard*, *barnum* (sed *middungeard*) pro *veard*, *bearnum*; *uerc*, *hesæn*, *heben* pro *veorc*, *heofon*. Similiter North.: v. 7. *nam i. e. ne eam i. q. Sax. ne eom*; *alle*, *aldor*, *salde*; *þu arð* (Wanl. p. 252. Hickes. p. 89. e Cod. Rushworthiano.) Sed in Cedmonis quoque paraphrasi occurrit promiscue: *svarta* et *svearta*; *alles* et *ealles*; *allvalda*, *alvalda* et *ealvalda*; *heofen* et *hefon*.

3. a pro æ: *fadur* pro *fæder*. Gl. North. v. 44. *adeav* pro *ætyv*. Leg. Alfr. Cod. B (Benneti) XVI.: *be stafe*, ubi Codd. G. H. †) *bi stæfe*.

\*) cf. Gr. Gr. I, 376.

\*\*) cf. Ancient laws and institutes of England, ed. in Fol. 1840 p. 20. sq.

\*\*\*) Gr. Gr. I, 326.

†) i. e. Ms. Cotton. Nero A. 1. et textus Roffensis.

Sic anne B., ænne H. XXXII. XLIX. — þara B., þæra H. L. II. V. — In paraphrasi semper fæder, ut p. 67, 30: fæder and meder. Ultima syllaba vocis *fadur* ex analogia *vocum*: *broþor*, *broþer*, *broþur*; *morþor* (Par. p. 187, 5), *morþer*, *morþur* (Par. p. 284, 13) scripta est.

4. æ pro e: *ricæs*, *metudæs*, *moncynnæs*, *astelidæ*; *tiadæ*. Formas affines Paraphrasis praebet hasce, in primis libro II: *vihtæ* p. 18, 25. *ðeostræ* 267, 14. *bættran ham* 268, 3. *ængel* 269, 31. *ængla* 270, 23. *ænglum* 272, 21. (sed *englum* 273, 25); *vyrsæ* 273, 23. sed *vyrsæ* 275, 22. *vuldræs* 296, 27. *noldæs* 310. Gl. North. habent arisæn. (Bosw. dict. A-S. præf. p. XXII.) Cod. Rushw. *costnungæ*; *cuðæ*, *milsæ*. v. Wanl. l. c. p. 252. Chartae quoque Anglo-Saxonicae æ pro e usurpant, cuius rei exemplum memorabile habes in dorso Chartæ Cialulfi, seculi noni, a Cl. Kemblio in Cod. diplomatico t. II. p. 89. editæ, cuius haec sunt verba: *æðeleræ gebohte et cialulfe ða stræte* (i. e. *strætæ*) *siððan hæ ðis land hæfde ðæ hær be astan stent*. VII. *fan fet an bræde . . . an lucænan gevitesse and an cudulfe and an eadulfe and dær ne gebyreð an ðam landæ an folcæs folcrysht to lefannæ rumæs butan twigen fyt to yfæs drypæ*. Item in Legib. Alfredi, ubi Cod. B. saepissime æ pro e scribit; e. g. XV. *forstæle*. *forstele* G. *forsteleð*. H.; XXVIII. *stæle*. *stele*. G. H.; XXIX. *slæpe*. *slepe*. G. — XLVI. *åblændað*. *ablendað* H.; L. III. *Ærcebiscopes*. *Ercebiscopes*. H.

5. ae (e) pro i, *maecti* (et propter insequens i: *allmæctig*.) Sic Gl. N. *næhta* pro *nihta*; *geembehtade*, *geombihtade*; *mæht*, *huælc*, *pro miht*, *hvile*.

6. e pro a: *end*, *sue* (Gl. North. *suæ*). Gl. N. Bosw. *enne* (an). *Sue* pro sva nonnunquam in Chartis legitur, e. g. in *Charta Ethelberhti regis Cantuariae*, aº 858.: „*hec sunt prata to vassingvellan stocmed healf be norðan hegforde be sturemeda sue ðer to limpað*.“ Et in dorso ejusdem chartæ: „*við oðrum sue miclum lande*.“ Kemble l. c. 65. 66. *end* nusquam legi; ond vero pro and in Chartis nonnullis (Kemble p. 100. 120), in Cod. Vercell. (ed. Grimmii), in Alfredi versione Bedæ, et in Cedmonis paraphrasi tribus his locis: 39, 14. 72, 31. 80, 27. deprehendi.

7. i pro e: *maecti*, *gidanc*, *gihuæs*, *eci*, *dryctin*, *ærist*. Cdm. 55, 24: *þurh fægir vord*. Cod. Rushw. *gifeol*. Gl. North. *gyrdil*. Gl. North. (Wanl. 252.) *gimænllice*. *giðryde* and *gibelde*. *gismioðade* þa *gihriño*. *hit gihrinade*. *gihamadi*. *giðyngó*.

8. v solvit in u, Gr. 1, 373. (ut saepissime in Chartis antiquioribus): *uard*, *uerc*, *sue*, *uuldur*, *uundra*. Gl. North. *suæ*, *huælc*,

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

huæt, eghuona, stouo, cuoeð, niue; uutodlice, uutedlice. Anal. I. c. — Wanl. I. c.: aurat. Eðiluald. sua he uel cuðæ. æhtuora. saule. feouer. uisdom. forueard. ue forgefon; et Cod. Norv. (Wanl. p. 288): Friduuuald. Osuald. Osuiu.

9. y cum i commutatur, ut alias saepissime.

10. c pro h: maecti, mectig, dryctin, quae forma dialecto Anglo-Saxonum septentrionalium fortasse propria fuit. Certe satis mirum est, quod accus. sing. pronominis primæ et secundæ personæ in Gl. North. occurrit \*) ab Anglo-Saxonica omnino diversa mec, \*\*) þec (gothicæ mik, þuk et scadinnav. mik, þik. cf. Gr. 1, 781. Raskii Gramm. Anglos. ed. Thorpii p. 53. satis affinis), in qua sine dubio c pro h positum est.

Exempla hujus formæ collegi has: E Gl. North. (Anal. I. c.) et Cedmonis paraphrasi in primis ex hymno Azariae.

mec. æfter mec. Gl. N. v. 7. 17. sed:

þu mæht geclænsiga meh v. 40.

fórþon mec sorg dreceð Cdm. 131, 21.

þec. on ðec ic vel licade. Gl. N. v. 11.

alle ðec soecað. v. 37.

adeav þec þæm sacerda aldon. v. 44.

þec sarre ah. Cdm. 137, 8.

nu ve þec (biddað) 234, 18.

þe þec men hligað 235, 25.

þa þec vurðiað. and þec ælmihtig (herige) 239, 7. 8.

þa þec dómige 239, 17.

and þec landa gehvilc (herige) 239, 24.

and þec frea mihtig (lofige) 239, 28.

and þec ligetu, | bláce berhtm-hvate,

þa þec bletsige. 240, 2 sq.

þa þec vurðiað | hvalas þec herigað. 240, 14. 15.

and þec israela (herigað) 240, 25.

and þec haligra (lofiað) 240, 29.

annanias þec | and adzarias . . (domige) 241, 2.

ve þec bletsiað 241, 6.

and þec halig gast | vurðað. 241, 12.

ve þec herigað 241, 15.

\*) cf. Hickesii thes. p. 88. sq.

\*\*) etiam meh. Anal. I. c. 40.

se ȝec áceorfeð | of cyningdóme |  
and þec vineleasne | . . sendeð 251, 23 sq.  
ne bið þec mæl-mete (dat.) 252, 7.  
ac þec regna scûr (veced) 252, 10.  
and he þec avorpe 253, 1.  
and vé englas mid ȝec 268, 25 (quo exemplo utitur Cl.  
Grimmius ut ostendat, praep. mid etiam c.  
acc. construi. Gr. IV, 707.)  
þec gelegdon 298, 26.  
nu þec caldeas (gefregen habban) hymn. Azariaeh e Cod.  
Exon. descriptus. Cdm. 312, 1.

---

**Textus Anglo - Saxonius.**

- Hæfde se ealvalda engel-cynna  
 þurh hand-mægen, halig drihten,  
 týne getrymede, þæm he getruvode vel,  
 þæt hie his gióngorscipe fyligan volden,
5. vyrcean his villan. Forþon he him gevít forgeaf,  
 and mid his handum gesceóp, halig drihten.  
 Gesétt hæfde he hie sva gesæliglice,\*)  
 ænnne hæfde he sva svíðne gevorthne  
 svá mihtigne on his mód-geþohte,
10. he lét hine sva micles vealdan,  
 hehstne\*\*) to him on heofona rice.  
 hæfde he hine sva hvitne gevorthne,  
 sva vynlic væs his væstm on hefonum,  
 þæt him com from veroda drihtne;
15. gelic væs he þam leohtum steorrum.  
 Lóf sceolde he drihtnes vyrcean;  
 dyran sceolde he his dreamas on hefonum,  
 and sceolde his drihtne þancian  
 þæs leánes þe he him on þam leohte gescerede:
20. þonne lete he his hine langc vealdan.  
 Ac he avénde hit him to vyrsan þinge;  
 óngán him vinn up-ahebban \*\*\*)  
 við þone hehstan heofnes vealdend,†)  
 þe siteð on þam halgan stóle.
25. Deore væs hé drihtne úrum; ††)  
 ne mihte him bedyrned vyrðan †††)  
 þæt his engyl ongan ófermód vésan.  
 áhóf hine við his hearran, sohte hete-spræce,  
 gylp-vord óngean, nolde gode þeovian

\*) v. Conyb. (p. XIII.) qui vv. 8—19. in latinum vertit et assonantes voces notavit.

\*\*) Raskii Gramm. A.-S. p. 159. nebstne.

\*\*\*) R. uphebban.

†) R. waldend.

††) R. úre.

†††) R. weordan.

**Versio ad verbum facta.**

Universi rector angelorum tribus  
 per manus (suae) potentiam, sanctus dominus,  
 decem paravit, quibus bene confidebat,  
 eos ministerium ipsius sequuturos esse,  
 voluntatem suam facturos. Quem ad finem rationem illis dedit 5.  
 et manibus suis eos formavit, sanctus dominus.

Disposuerat ille eos tam feliciter,  
 unum creaverat adeo potentem,  
 adeo pollentem in mentis sua cogitatione,  
 tantum imperium ejus fecit, 10.  
 summus (ut) post ipsum (esset) in coelorum regno.

Adeo lucidum eum fecerat,  
 adeo jucunda fuit ejus forma in coelis,  
 quae illi venit a domino exercituum,  
 similis erat lucidis stellis. 15.

Laudem domini praedicare debebat,  
 cara habere debebat gaudia sua in coelis  
 et debebat suo domino gratias agere  
 pro praemio, quod ille ei in luce tribuerat;  
 tum eum diu id possidere fecisset. 20.

Sed pervertit id sibi in exitium,  
 coepit bellum contra eum commovere,  
 contra summum coeli rectorem,  
 qui sedet in sacro throno.

Carus ille fuit domino nostro, 25.  
 neque (tamen) eum latere potuit,  
 quod angelus ejus coepit superbus esse,  
 Surrexit (is) contra dominum suum, quaesivit (sermonem)  
 causam\*) odii,  
 verba superbientia adversus (eum), noluit Deo servire.

---

\*) cf. Psalms ed. Thorpii, IX. v. 4. fortham thu démst minne dóm and mine  
 spræce, quoniam fecisti judicium meum et causam meam.

30. [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)  
 cvæð þæt his lic være leoht and scéne,  
 hvít and hiov-beorht; né meahte hé æt his hige findan  
 þæt he gode volde geóngerdome  
 þeódne þeovian; þuhte him sylfum,  
 þæt he mægyn and cræft máran hæfde,
35. þonne sé halga god habban mihte  
 folc-gestælna. Feala vorda gespræc  
 se engel ofermódes; þohte, þurh his ánes cræft,  
 hú hé him strenglicram stól gevórhte,  
 heahran on heofonum; cvæð þæt hine his hige speone
40. þæt he vest and norð\*) vyrcean ongunne,  
 trýmede getimbro; cvæð him þveo-þuhte  
 þæt he góde volde geongra veorðan.  
 „Hvæt sceal ic vinnan?“ cvæð he; „nis me vihtae þearf  
 hearran to habbanne: ic mæg mid handum sva fela
45. vúndra gevyrcean; ic hæbbe geveald micel  
 to gyrvanne godlecran stól,  
 hearran on heofne: hvý sceal ic æfter his hyldo þeovian,  
 bugan him svilces geongordómes? Jc mæg vésan god sva hé!  
 Bigstandað me, strange geneatas, þa ne villað me æt þam striðe  
 gesvican!
50. Hæleþas heardmode, hie habbað me to hearran gecorene.  
 rófe rincas, mid svilcum mæg man ræd geþencean,  
 fón mid svilcum folc-gesteallan; frynd synd hie mine georne,  
 holde on hyra hyge-sceaftum. ic mæg hyra hearra vésan,  
 rædan on þis rice; sva me þæt riht ne þinceð,
55. þæt ic oleccan ávihþurfe  
 gode æfter góde ænegum. Ne ville ic leng his geongra vurþan!“

---

\*) v. p. 3, 8. sqq. ubi dicit, thæt he on nordh-dæle | hám and heah-setl heofena  
 rices | ágan volde. cf. Gr. Mythol. p. 560.

dixit, corpus suum esse lucidum et pulcrum, 30.  
 splendens et colore nitens; neque in animo suo invenire (animum  
 inducere) potuit,

ut Deo vellet in ministerio  
 regi servire; sibi ipse videbatur  
 potentiam et vim habere majorem,  
 quam sanctus Deus habere posset, 35.  
 e sociis. Multa verba locutus est  
 angelus superbiae; expendit, per sui unius vim,  
 quomodo sibi firmorem thronum pararet,  
 altiorem in coelis; dixit animo suo se excitari,  
 ut ab occidente et a septentriione opus aggredetur, 40.  
 exstrueret castella; dixit, sibi dubium videri,  
 quod Deo vellet servus esse.

„Quid“, inquit, „labores sustineam? Non mihi opus est  
 superiorem habere: ego possum manibus (meis) tam multa  
 mirabilia perficere, ego habeo potentiam magnam 45.  
 (mihi) parandi divinorem thronum,  
 altiorem in coelo. Cur gratiae ejus causa servirem,  
 submitterem me ei in tali servitute? Deus esse possum uti ille!  
 Assistatis mihi fortes socii, quibus voluntas non est in pugna  
 me fallendi!

Heroes pectore obfirmato me ducem elegerunt, 50.  
 incliti milites, quibuscum consilium excogitare possis,  
 capere cum talibus sociis; amici sunt illi mihi prompti,  
 fideles in animis suis. Ego horum esse possum dux,  
 regnare in hoc regno; itaque justum esse mihi non videtur,  
 quod adulari in ulla re cogar 55.  
 Deum ob bonum aliquod. Nolo diutius ejus servus esse!“



[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

FFR 171896  
FEB 24 1902

MAR 2 1910

FEB 18 1912

~~APR 14 1932~~

~~JULY 17 1934~~

~~JL APR 14 '38~~

39602  
MAY 28 1973 H  
LIBRARY

12413.49

De Cedrone poeta anglo-saxonum vēt

Widener Library

004615918



3 2044 086 718 574

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

